

crux nostrorum omnium virtus et refugium, auxiliante eo qui pro salute hominum tulit crucis supplicium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

## SANCTI ODILONIS CREDULITAS

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 369.)

Æternam illam et incircumscripam summæ divinitatis unitatem, sicut sancti angeli et archangeli omnesque sancti adorant in cœlis, adoro, laudo, glorifico et benedico. Credo et confiteor Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, trinum personis, unum in Deitate et substantia, atque sicut sancti patriarchæ et prophetæ prædixerunt, angelus Gabriel de cœlis ad Virginem missus enarravit, sancti apostoli denuntiaverunt, evangelistæ evangelizaverunt, martyres prædicaverunt, confessores docuerunt et sanctæ virgines confessæ sunt. Credo et confiteor illud Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat; pro mea et totius mundi liberatione et redemptione, ex sacratissima et intemerata virgine Maria, in veritate nostri corporis, sine humana concupiscentia temporaliter procreatum et natum, secundum legem Moysi octava die cum impositione nominis Jesu circumcisum, quadragesimo die in templo a matre cum hostiis et muneribus præsentatum, Magis manifestatum, a Joanne baptizatum, in desertis a diabolo tentatum nec superatum; post multa et innumerabilia miraculorum, sanitatum

concessa beneficia, et prædicationem Evangelii, statuto et præordinato tempore a discipulo proprio traditum, a Judæis comprehensum, ligatum, flagellatum, colaphizatum, sputis illitum, spinis coronatum, aceto potatum, crucifixum, mortuum et sepultum; tertia die, devicto diabolo et spoliato inferno, a mortuis propria virtute resuscitatum; per quadraginta dies apostolis in carne qua crucifixus est manifestatum; quadragesimo die videntibus eisdem apostolis et multis aliis fidelibus super cœlos exaltatum, inde venturum ad judicandum vivos et mortuos et sæculum per ignem. Credo etiam Spiritum sanctum, super eundem Dominum nostrum in columbæ specie et super sanctos apostolos in linguis igneis descendisse eisque omnium linguarum scientiam distribuisse, et invictam contra omnium persecutionem inimicorum constantiam dedisse. Credo sanctam; catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen.

## SANCTI ODILONIS CARMINA SACRA ET PRECES

(*Bibliotheca Cluniac.*, p. 406.)

I

HYMNUS IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Adest dies lætitiæ,  
Jucundus omni lumine,  
In quo Regina virginum  
Scandit iter astriferum,  
Angelorum præfulgidis  
Circumvallata cuneis,  
Quamque sanctarum virginum  
Sequitur agmen inclytum.  
Ut decet omnes credere,  
Cælesti diademate  
Clarus, occurrit obvius  
Christus, ex ea genitus.  
Ultra angelorum gloriam  
Torum delicti nescium

C

Secum ad Patris solium  
Reportat pignus optimum.  
Cælestis regni civitas,  
Et ejus omnia dignitas,  
Parentem sui Principis  
Votis honorat congruis.  
Cum quibus nos lætissima  
Hujus diei gaudia  
Concelebremus alacres,  
Deum laudando, supplices.  
Hujus festi clarissima  
Prosequamur præconia,  
Mentis affectu supplices,  
Effectu vocis alacres.

*Reliqua desiderantur in ms.*